



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conferentiæ Theologico Morales**

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum  
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,  
Confessariorúmque omnium

Ex Materia Septem Sacramentorum Atque Justitiæ De Restitutione  
Excerptæ

**Sargar, Elisaeus**

**Augustæ Vindelicorum, 1720**

Præscribuntur variæ Baptismi. n. 31.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41194**



Co. hic tr. 2. cap. 1. lect. 2. ) quod nondum natus sit: quod si enim scinderetur ex utero, baptizandus utique esset, qui tamen natus non esset.

- Deinde si Parvulus in utero capax est contrahendæ maculæ originalis nondum natus quare non similiter capax esse debeat remedij ad eandem abluendam, fateor tamen talem rebaptizandum sub conditione, si integer nascatur quia in similibus, quod securius est tenendum est. Sed quid dicendum ad cit. can. qui videtur esse Responsioni contrarius, dico canonem se ipsum explicare, dum ait, *infantem in maternis uteris cum matre baptizari non posse*, ita nimirum, ut Baptismus matri collatus infanti proficit quod utique nemo negat.

#### CONFIDENTIA. VIII.

30. Si nil nisi capilli vel unguis de infante ex utero Matris promineant, an & hic baptizandus? & talem baptizandum sub conditione quia probabilis sententia est, capillos & unguis eadem anima rationali animari, qua animantur partes ceteræ.

#### De Forma Baptismi.

#### CONFIDENTIA. IX.

31. Quidam Sacerdos parum latius, ut refertur in cap. retulerunt 26. de consec. d. 4. solebat baptizando dicere, Ego te Baptizo in nomine Patriæ & Filii & Spiritu sanctæ, an valide baptizavit.

& Validè



R. Valide: ita enim respondit fertur Zacharias Papa utpote quia per dicta verba adstantes facile intelligebant, verbis illis designari tres personas divinas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

## CONFIDENTIA. X.

Sabaudus germanus germanice baptizavit infantem his verbis: Ich tauff dich in Namen Gott der Vatter / und der Sohn / und der heilige Geist; an verè.

R. Affirmativè ob paritatem rationis cum casu præcedente: est enim is communis modus loquendi Sabaudorum quando germanizant.

## CONFIDENTIA. XI.

**A**lius baptizavit nomine Patris & sanctæ & veræ Crucis, & spiritus sancti: an bene? R. P. Gob, hic Tr. 2. n. 90, hunc Baptismum D. Bernardi; quia scilicet per sanctam & veram Crucem designari videtur Christus secundam Trinitatis Personam. Mihi sanè videtur negandum, huiusmodi formas esse validas, in quibus non pronuntiantur omnes tres Personæ Trinitatis sub propriis rationibus, prout eas exprimendas docet Concil. Flor. in Decreto unionis, & ipsemet Christus Matth. ultimo: Euntes docete &c. baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

## CONFIDENTIA. XII.

**O**bstetrix Itala solebat domi ita baptizare,